

Zacharias Grape

**Programma, Qvo Rector Universitatis Rostochiensis, Zacharias Grapius SS.
Theol. D. ... Funus Acerbissimum Viri ... Dn. Georgii Melchioris Schwederi ICTi ...
Reip. Rostochiensis Consulis ... a Vidua Moestissima ... Margaretha Meieria ...
paratum indicit ... Cives Academicos ... invitat : [P. P. Rostochii sub Universitatis
Sigillo ipso exeqviarum die d. 26. Jan. A. MDCCVII.]**

Rostochi[i]: Weplingius, [1707]


<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn774555300>


Druck Freier  Zugang



Grapius, Z.,
in
G. M. Schweder.

Rostock, 1707.





PROGRAMMA

^{QVO}
RECTOR

UNIVERSITATIS ROSTOCHIENSIS;

ZACHARIAS GRAPIUS

SS. THEOL. D. EJUSDEMQUE; PROFESS. PUBL. ORDINAR. A
CATHEDRALEM D. JACOBI VERBI DIVINI MINISTER, ET FACULTATIS THEOLOGICÆ h. t. DECANUS,
FUNUS ACERBISSIMUM



IMMORTALI MERITORUM GLORIA ILLUSTRIS
ISSIMI, CONSULTISSIMI, AMPLISSIMI AC PRUDENTISSIMI
DOMINI,

DN. GEORGII MELCHIORIS SCHWEDERI

OCI CONSUMMATISSIMI, REIP. ROSTOCHIENSIS CONSULE
PRIMARIUM LONGE GRAVISSIMI, PERILLUSTRIS JUDICII PROVINCIALIS, QU
PARCHIMI EST ASSESSORIS EXCELLENTISSIMI, STATUUMQUE PROVIN
CIALIUM MECLENBURGICORUM SYNDICI DEXTERRIMI,

à
VIDUA MOESTISSIMA

FEMINA NOBILISSIMA, OMNIQUE VIRTUTUM GENERE EXORNATISSIMA

MARGARETHA MEIERIA

SOLEMNISSE AC DECENTISSE PARATUM INDICIT,
SIMUL ATQUE AD EXEQVIAS FREQUENTI PRÆSENTIA QUAM
BENEVOLE ORNANDAS

PROCERES & CIVES ACADEMICOS SUIS QUOSQUE TITULIS CONSPICUOS
EA QUÆ FAS EST, HUMANITATE INVITAT.

ROSTOCHI, Typis JOH. WAPPLINGI, SER. PRINC. & ACAD. Typographi



Elicissimus utique ille,

qui moritur, antequam moritur, non enim is moritur, quando moritur, sive ut Poëta ille ap. B. Gerhard. in *Aphorismis Sacris* canit p. 294.

Ante obitum moriens, non moriturus obit.

Equidem *Mystici* hâc occasione multa dulcia somnia de morte mysticâ somniârunt. Ex quibus præ aliis illi vulgo sic dicti *Quietiste* quamplurima de hâc ipsâ materiâ fuerunt scrutati. Sic namque ipse ille eorundem *Coriphæus D. Michael de Molinos in Maxduet. Spirit, L. 3. c. 19. p. m. 385. sqq.* inter alia ita: *Hinc divino auxilio adjuta (anima) transit ad statum nihili ubi se ipsam spernit, & à se abhorret, seque demittit, cognoscens, se esse nihil, nihil posse, & nihil valere. Inde nascitur, ut moriatur in se, & in sensibus multis modis, & omnibus horis, & tandem ex hâc morte spiritali originem ducit vera & perfectâ annihilatio, adeo, ut anima jam mortua suo velle & intelligere dicatur proprie pervenisse ad perfectum*

fectum & fortunatum annihilationis statum, quæ est ultima dispositio ad transformationem & unionem, anima ipsa id non percipiente. Idem & legitur in Propositionibus illis à Clero Romano feriâ quintâ d. 28. August. Ann. 1687. damnatis, quæ una cum Decreto Innocentii XI. Pontif. Rom. contra Mich. de Molinos & ejus sectam prostant, ubi propos. 61. hæc habentur: Anima cum ad mortem mysticam pervenerit non aliud amplius velle potest, quam id, quod Deus voluerit, quia non habet amplius voluntatem, & Deus eam ipsi abstulit. Et propos. 63. ita; pervenitur per viam internam ad mortem sensuum, imo signum annihilatum hoc est, mortuum esse aliquem morte mysticâ; est, si sensus exteriores non representent amplius res sensibiles plane ac si non adessent; quoniam non eò procedunt ut faciant, ut intellectus ea se applicet. Jam quamvis quidem Auctor du Christianisme éclairci p. 473. asserat, mentem Molinosi ne ab ipsis quidem ejusdem sectatoribus fuisse perceptam, cum divinarum rerum systema, quod sibi formaverit, difficilius intellectu sit, quam Spinoza, quod manifestum fore dicit, si aliquando in lucem ederentur colloquia illa, quæ Ann. 1684. præsentè Christianâ Regina Sueciæ cum Molinos fuere habita. Quilibet tamen, cui mens est illuminata, videt, ut reliqua omnia Molinosii deliria, ita & præsens hocce de morte mystica, sine omni S. Codicis, utpote quem vel plane non, vel raro admodum allegare solet Molinosius, consensu proponi, imo contra & hoc quilibet satis superque percipit, descriptionem hanc mortis mysticæ esse contra Scripturam. Sic namque ipsam animæ substantiam, quod Quietista volunt, mutari Scriptura nullibi docet, sed ratione qualitaturn diversarum id fieri potius

ubiuis afferit. Ita & clarissime satis innuit, quã diu
 vivimus, è mundo exire nos non posse 1. Cor. V, 10. imo
 renatos quoque uti mundo, licet eodem non abutantur
 1. Cor. VII, 31. qv̄i ergo à deo omnes sensus poterunt
 emori, ut sensus exteriores non amplius repræsèntent
 res sensibiles? sic & quæ de perfectione hujus vitæ
 & mortificatione unioni præmissâ foventur, contra
 tot clarissima Spiritus S. sunt testimonia. Et hoc sat
 abunde apparet, dogma hocce, æque ut plurima alia
 hodiernorum Fanaticorum, ex maxime impuris Pytha-
 gora atque Platonis lacunis esse derivatum. Eadem
 namque utriusque erat sententia, quando Φιλοσοφία vo-
 catur μελέτη θανάτου, & quidem ab utroque, vid. Scheffer,
 de Philosoph. Ital. p. m. 38. Quam sententiam licet forte
 malè intellexerint Cleombrotus Ambraciotæ Juvenis, & Cato,
 quasi Philosophia præciperet αυτοχθονίας, proptereaque
 sibi ipsis violentas intulerint manus, vid. Lactant. l. 3. di-
 vin. Instit. c. 18. p. m. 215. Eandem tamen præluxisse Quie-
 tistis ex explicatione hujus effati Pythagorico-Platonici
 videre est, quam dat Jamblichus his verbis: μελέτη θά-
 νατου καὶ χωρισμοῦ ψυχῆς ἀπὸ σώματος ἡ φιλοσοφία, ni-
 mir. l. II. ubi symbolum. 23. Pythagore exponit ex Pytha-
 gora schola, quod Symbolum hoc erat: annulum ne-
 gestato, quod ex Pythagoræorum mente idem esse innuit
 Jamblichus ac: ἀγγελῆθαι φιλοσοφῆν ὡς ἀληθῆος καὶ χωρῆθαι
 ἀπὸ τοῦ σώματος τὴν ψυχὴν. Atque sic explicantibus
 & aliis Platonicis passim, meditatio mortis ipsis erat
 elevatio animæ & abstractio à corporis sensibus. Et quid
 Quietistæ aliud? Quem autem in finem Pythagoras
 & Plato sic docuerint, & illud novimus, nimirum ut
 hoc tanquam altero illo post noticiam sui medio de-
 veniat anima ad ἐπιείκην illam, & famosam illam deifi-
 catio-

rationem ac resolutionē in animam mundi. Quo de finē prolixius vide Scheffer, l.c.C.7.p.m.43. & Colberg. im Platonisch-Hermetischen Christenthum part.1. c.1.p.3. sqq. ut alios nunc taceam. Apage ergo istiusmodi dogmatum monstra! Nos qui veritatem Verbi Divini revelati unice sectamur, mortem fidelium mysticam seu spiritualem nonnisi præeunte Spiritu S. describimus per illam nimirum mortem, qua mori dicimus legi Rom. VII. 1.2.3. peccato Rom. VI.2. & mundo Gal. VI.14. Huc & respexit D. Ambrosius Mediolanens. Episcopus, quando libro de bono mortis c.2. T.4. Opp.p.m.230. mortem ita distinguit: Mortis tria sunt genera: Una mors peccati est, de qua scriptum est: anima quæ peccat, ipsa morietur: alia mors mystica, quando quis peccato moritur & Deo vivit, de qua ait Apostolus: Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: tertia mors est, quæ cursum vite hujus & munus explemus, id est, animæ corporisq. secessio. Mori etiam dicitur ille, qui quotidie de morte sua cogitat, loquitur, somniat, eamque expectat, exemplo Pauli 1. Cor. XV, 31. Et felicissimus ille, qui ita moritur, antequam moritur, non enim is moritur quando moritur, mors quippe ipsi via & janua ad vitam, imo & post fata memoria ejus vivit: memoria namque justi est in benedictionem Prov. X. 7.

Mortuus quoque nunc est VIR. Præ-Nobilissimus, Consulissimus, Amplissimus ac Prudentissimus, O tragica tanti nominis pronuntiatio! Magnus ille noster SCHWEDERUS, O acerbissima hodie dolendi materia! Consul ille almæ Reip. nostræ Rostochiensis primarius, O jactura provinciæ! Judicii Ejusdem quod Parchimi est, Assessor, ut & Syndicus Statuum Provincialium Mecklenburg. magnæ

omnino auctoritatis ac fidei , O invida semper
humanarū rerum felicitati fortuna! VIR magno merito-
rum encomio illustris. Mortuus vah! non sine infausto
omine, utpote qui duos Cordatissimos & meritissimos
pariter Curiaē nunc longe mœstissimæ nostræ Patres
in eadem ferme hebdomade , sibi præmiserat. Sic
olim, *Plato*: βέληται θεὸς ἐν πράξει πῶλον, ἀνδρας ἀγαθὸς
ἐπίσησεν, ὅταν ᾖ μέλλη κακῶς πράξει, ἰξῆσαι τὸς ἀγαθὸς ἢ πῶλον
ὁ θεός. Imo majorum hæc malorum non raro solent
esse præslagia. Ut enim hirundines tacito naturæ
sensu pullos suos ex ædibus ruinam minantibus au-
ferunt, & alibi tuto deponunt. Sic Magnorum pio-
rumqve Reip. capitum animæ hinc paulo ante emi-
grant, quam ærumnosis & labantis hujus mundi rui-
nis & calamitatibus variis ingruentibus implicentur.
Mortuus Noster, nec tamen mortuus, qui enim mori
potuit, qui antequam moriebatur, mori didicerat:
mortuus *legi*, quemadmodum inter fideles & inter le-
gem mors aliqua intervenit, eaqve legi ita satisfaci-
ens, ut licet peccatum adhuc habeant, eos amplius
condemnare non possit propter eandem satisfactionem
fide apprehensam. Fidem etiam hanc suam in operibus
ostendebat, atq; hinc & *peccato* moriebatur, quod, quan-
tum in hâc imbecillitate fieri potest, magno cum cona-
mine vitabat, *mundo* moriebatur, quem contemnere
noverat. Sæpius etiam de mortē sua cogitans ac lo-
quens, eamq; sine metu expectans. Non ergo mortuus
dum mortuus. Non mortuus, utpote cujus memoria
est in benedictionem, quemqve insignia illa merita
apud seros posteros immortalē reddiderunt. *Non
inelegans est inventum*, prouti laudat *Franc. Baco de Ve-
ritatem.*

vilam, de dignit. & augment. scient. l. 3. c. 7. p. m. 152. sq.
eiusdam ex Poëtis recentioribus, quo antiquam fabulam
locupletavit. Fingit ille, in extremitate filii parcarum nu-
mismata quoddam, seu monile pendere, in quo defuncti nomen
impressum sit. Tempus autem cultrum Atropi praestolari, &
statim abscisso filo numismata eripere, eaq; asportata paulo
post in fluvium Lethes ex gremio suo projicere. Circa flu-
vium autem magnam avium vim volitare, quæ numisma-
ta arripiunt, ac postquam in rostris ipsorum paulisper eadem
circumtulerint, paulo post per incuriam in fluvium decidere
permittunt: Inter eas vero cygnos reperiri nonnullos, qui
si numisma aliquod cum nomine prehenderit, illico ad tem-
plum quoddam illud deferre solebant, immortalitati conse-
cratum: Sic & merita pie defuncti nostri immortalita-
tati consecranda erunt. Quem in finem semper in re-
centi nobis sit memoria splendidissimus ejusdem
ortus, omnem meam laudem maximè superans vitæ
progressus, beatusque ex hâc ærumnarum valle e-
gressus. Et quædam de his immortalitati jam conse-
cravit B. noster Dn. D. HABICHHORST in *Rostochio*
suo literato p. 204. sqq. ex eo ergo potiora jam erunt re-
petenda, ita ut addantur addenda. Natus sic est B. ille
noster Consul DN. GEORGIUS MELCHIOR
SCHWEDERUS ex longe vetusta & illustri familiâ,
Anno nempe MDCLII. d. 20. Martii Colbergæ, quæ ulte-
rioris sive Orientalis & Electoralis Pomeraniæ est Civitas,
Patre Viro Illustri B. DN. JOHANNES SCHWEDERO
Jcto Celeberrimo & Serenissimo Electori Brandenb. à
Consiliis Consistoriisq; in Ducatu ulterioris Pomeraniæ
& Principatu Caminensi Præfide, Viro magnorum in
patriam meritorum; Matre vero nobilitate generis ac
virtu.

virtutum maxime fulgidissimā CATHARINA
Borchardtii. Avum paternæ lineæ habuit Virum
Prænobiliss. & Consultissimum B. DN. HEN-
RICUM SCHWEDERUM Jctum & Consulē
Coslinensem; Aviam vero paternæ lineæ feminā nobi-
lissimā GERDRUD Ducherowen. Avus maternæ lineæ
fuit Vir Amplissimus B. Dn. LAUR. Borchardt Celeber-
rim⁹ Patritius & Camerarius Colbergenfis. Avia ejusdē
lineæ fuit femina omni virtute ornatissima JUDITH
Frederin. Adjiciunt natalium Iplendori plurimum in-
de proavus unus paternæ lineæ DN. JOHANNES
SCHWEDER Celeberrimus Patritius & Ecclesiæ
Provisor Coslinensis; Proavia una paternæ lineæ LU-
CIA von Schlieffen DN. HENRICI von Schlieffen
Consulis Colbergenfis, & LUCIÆ Bröckerin filia, al-
ter Proavus paternæ lineæ ex aviâ deductæ DN. GE-
ORG Ducherow Patritius & Senator Colbergenfis,
altera Proavia ejusdem lineæ ELISABETHA Knollen
DN. MARCI Knollen Patritii & Senatoris, & GER-
DRUD Schröderin filia, unus proavus maternæ lineæ
DN. SIMON Borchard Patritius, & Camerarius Col-
bergenfis, una proavia maternæ lineæ JESE Bulgrin
DN. Bulgrin Consulis, & LUCIÆ Brockerin filia, al-
ter proavus maternæ lineæ ex avia oriundæ DN. HER-
MANNUS Freder Consul Colbergenfis meritissim⁹, alte-
ra proavia ex eâdem lineâ MECHTILDIS Tesmarn/
DN. JOACHIMI Tesmars Patritii & Senatoris Col-
bergenfis, & JUDITHÆ Dalcken filia. Nec minorem
generis gloriam conciliant primus abavus paternæ li-
neæ DN. JOHANNES SCHWEDER Patritius &
Senator Coslinensis, prima abavia paternæ lineæ AN-
NA Frederin/ DN. JOHANNIS Freder / & ANNÆ
von

von Kleisten ex generosâ de Kleisten familia oriundâ
 filia, alter abavus paternæ lineæ ex aviâ derivandæ
 DN. GEORG. Ducherow Patritius & Camerarius
 Colbergensis, altera abavia ejusdem lineæ ANNA
 Schwandtß primus Abavus maternæ lineæ DN. LAU-
 RENTIUS Burchardt Patritius & Senator Colber-
 genfis, prima abavia maternæ lineæ GERDRUD
 RANGEN, alter abavus maternæ lineæ ex avia ortæ
 DN. MELCHIOR Freder/ Patritius, & Camerarius
 Colbergensis, altera abavia ejusdem lineæ CATHA-
 RINA Gottschalken/ DN PETRI Gottschalken/ Con-
 sulis COLBERGENSIS, & DADALÆ Schlieffen filia.
 Denique ut reliquos Splendidissimos adhuc Majores
 ejusdem taceamus, addimus hic saltem eâdem digni-
 tate celebres atavum paternæ lineæ DN. JACOBUM
 SCHWEDER Patritium & Senatorem Coslinensem,
 abaviam paternæ lineæ ELISABETHAM Rubachs/
 atavum maternæ lineæ DN. JOACHIMUM Borchardt/
 Patritium & Salinarum Inspectorem Colbergentem,
 & ataviam maternæ lineæ ANGELAM de Udebaren/
 ex generosâ illâ de Udebaren familiâ oriundam. Ex
 his tot Nobilibus suis Majoribus singulis suis titulis ac
 meritis maxime conspicuis ortum suum adeo splendi-
 dissimum habuit beate noster defunctus. A piis autem
 optimisque suis parentibus, simulac matris gremio &
 cunis major redditus aliquantum adolevisset, sine mora
 in ludum literarum emittebatur, & quidem initio Præ-
 ceptoribus domesticis, mox & publicis Scholæ trivialis
 patriæ Collegis DN. VALERIO JASCHIO Rectori, dein
 Consistorii in Pomeraniâ ulteriori & Principatu Cam-
 B mi.

minentiffi Aſſeſſ. & SS. Th. Licent., uti & Dn. JOACHIMO
HEIDEMANNO Con. Rectori, dein ad D. Mar. ibid.
Archidiacono erudiendus tradebatur. Atq; ſic feliciter
virtutum ac doctrinæ fundamentis poſitis, monitu fra-
tris ſui Germani Illuſtris Dn. HERMANNI SCHWE-
DERI Jcti Celeberrimi & Sereniſſ. Elector. Brandenb.
Conſiliarii Aulici, ſimulq; Conſiſtorii Electoralis
qvod Stargardiæ eſt, Aſſeſſoris graviffimi Anno
MDCLXXI. menſe *Mart. anno ætatis 18.* ad capeſſen-
dos uberiores ingenii fructus Academ. *Francofurtaniam*
ſalutavit, ibidemq; convictu & ædibus Celeberrimi
Dn. D. JOH. FRIEDER. RHETII Jcti, dein Sereniſſ.
Electoris Brandenb. Conſiliarii intimi exceptus tam
in Philoſophiâ morali, quam in Jurisprudentiâ tantos
fecit progreſſus feliciffimos, ut jam tum ominari qvili-
bet potuerit, ad magna qvævis hunc Noſtrum natum
uiſſe. Biennio hic tranſacto ad altiora aſſurrecturus
Ann. MDCLXXIII ad Academiam *Jeneniſem* tendebat,
atq; & hîc ccepta ſua ſtudia imprimis Juridica in
Scholis tam publicis quam privatis Celeberrimorum
Ejuſdem Academiae Profeſſorum Juris magno cum ar-
dore magnâq; cum laude continuabat. Sed ortus
belli turbis præter omnem ſuam ſpem patriam redire
Ann. MDCLXXV. fuit coactus. Quia vero eadem
virtutis eſt ratio, quæ flammæ ſurgentis, ut latere diu
non poſſit, hinc nec Beatus noſter diu commorari do-
mi poterat. Sed mox Ann. MDCLXXVI. *Menſe*
Septembr. ad Academiam Celeberrimam *Tubingen-
ſem* ſeſe conferebat, itineris ſui curſum dirigens per
præcipuas illas Germaniæ Academiâs ac Civitates,

Wit.

Wittebergam nimirum, *Lipsiam*, *Noribergam*, *Augustam*
Vindelicorum & *Ulmam*. *Tubingam* nunc ingressus ut
erat solidioris peritiæ cupidissimus, quo majores inge-
nio reperuerat opes, hoc semper avarior plures appe-
tebat, eumque in finem Celeberrimos illos JCtos ejus-
dem Academiae imprimis DN. D. LAUTERBACHI-
UM & DN. D. BARDILUM summo cum desiderio
proficiendi audiebat. Absolutis autem sic studiis,
nunc & itineribus ad externos eo magis se ad magna
quævis tandem aliquando expedienda perficere stude-
bat, non curans iudicium illud *Henrici Wottoni* ap. *Con-*
stantin. Germanic. in Epistolâ politicâ p. m. 3. animas sapien-
tiores fieri quiescendo. Sed potius *Lipsium* audiens, quo
iudice anima divinior est, quæ cælum imitatur, & gaudet
motu, Bono cum Numine ad peregrinationes sese ac-
cingebat. Siquidem Ann. MDCLXXVII. *Tubingâ*
modo ad *Bavaros* excurrebat, & sedem Electoris *Mo-*
nachium stupendamque ejusdem arcem oculis perlu-
strabat, mox aliâ occasione *Palatinatum* adibat, tandem
etiam Ann. MDCLXXIX. *Tubingâ* in *Helvetiam* sese
contulit, ejusdemque varia ornamenta visebat. Ex
Helvetiâ regrediens vicinorum quidem *Agentoraten-*
sium hospitio & doctrinâ; sed per tres tantum menses
utebatur. Inde enim plus ultra, & sventâ satis rectaque
viâ per *Lotharingiam*, *Campaniamque*, ad *Parisienses* deve-
niebat, quæque in horum Urbe tanquam totius Orbis
compendio notatu digna reperiuntur, per integrum an-
num ab Ann. MDCLXXX. usque ad MDCLXXXI.
duosque menses magna cum curiositate observabat.
Inde & per cetera *Gallie* loca *Aureliam* & *Avenionem*

Academias, usque ad *Sextias aquas (Aix)* imo usque ad alterum *Gallie* latus, quod mediterraneo mari clauditur, ad ipsamque *Marsiliam* Provinciæ Academiam penetrabat. Reversurus vero ad *Parisijs* & inde in *Angliam* abiturus, aliâ nunc viâ incedebat, tergo enim Provinciæ dato ad *Delphinatum* in eoque *Gratianopolin (Grenoble)* & inde per *Sabaudiam* ad *Genevenses* *Helvetiæ* fœderibus junctos pergebat. Postquam vero diutius aliquando ad *Rhodani* fluvium iter fecerat, & apud *Genevenses* commoratus fuerat, missis tandem illis recta ad *Parisijs* viâ recurrebat. Sed & his paulo post valedicens, scopumque respiciens suum per *Picardiam*, urbesque *Bononienses* *Caletum (Cales)* pervenit, ex quo portu sine morâ *mensis Augusti*. Ann. MDCLXXXI. in *Angliam* penetrans, *Londonium*, *Oxonium* aliasque urbes salutabat. Trajecto dehinc oceano *mensis Octobris*, in *Belgium* appulit, visisque curatius paulo provinciis ejus cum ad *Hispanos*, tum ad *Fœderatos* spectantibus per *Clivienses* *Brandenburgico* *Electori* subjectos, aliasque interjectas *Germaniæ* terras in *Pomeraniam* ipsamque tandem patriam *Colbergam* sub ejusdem Anni MDCLXXXI. finem, consumpto hâc vice apud exteros quinquennio, quatuorque mensibus, remeavit. Hic nunc pandebat se gloriæ publicæque utilitatis, cui suo quodam fato Præ-Nobilissimus noster DN. SCHWEDERUS erat destinatus, spatiosus campus. Nec deerat felicissimus rerum omnium successus. Sic namque Ann. MDCLXXXII. superato in *Academia Francofurtano* *Examine* illo vulgo sic dicto rigorofo, habitaque Præsidi Illustri DN. D. SAMUELE STRYCKIO

Dispu-

*Disputatione Inaugurali occasione legis, 3. C. de vendend. Reb. Civit. de alienatione rerum atq; bonorum Civitatum, d. 4. Decembr. mox subsequ. 7. Decembr. Honores in Jure summos, quos DOCTORATUM vocamus, Brabevtâ eodem DN. STRYCKIO summo cum applausu omnium obtinebat. Ita autem ornatus statim in Patriâ Ann. MDCLXXXIII. Scabinatus Assessor constituebatur. Sed ad majora DN. SCHWEDERUS ut natus, ita & educatus erat. Atqve hinc Ann. MDCLXXXIV. interprete Consule tunc Reip. nostræ primario magnoqve columine Illustri DN. LIEBHERRO, Viro immortalis in Rep. nostræ memoriæ, à Prænobilissimo ac Amplissimo hujus Urbis Senatu ad *Syndicatum* huc vocabatur, mox etiam *Syndicatu* huic *Civitatis* accedebat *Syndicatus Statuum Provincialium*, in quo Anno MDCLXXXVII *mensis Octobr.* succedebat Viro magnorum & in provinciam & Academiam nostram meritorum DN. D. GEORGIO RADOVIO, à Professione hinc Juris ad *Syndicatum Lubecensem* tunc vocato, jam itidem beate defuncto. Sed majora adhuc Beato Nostro erant reservata, siquidem inclyta Rostochiensis Civitas eum magno cum affectu expetiit rebus suis Præsidem, eumqve in finem à Præ Nobilissimo ac Amplissimo Senatu primum in *Ordinem Senatorium* cooptabatur Ann. MDCXCIV *d. 24. Febr.* qui *Matthia & electioni Senatorum* antiquitus sacer, deinde & *Seqv. 12. Mart.* à *Syndicatu Civitatis* ad *Consulatum* ejusdem provehebatur. Mox & Perillustris illius *Judicii Provincialis* quod *Parchimi* est Assessor excellentissim⁹ creabatur. Quantâ cum auctoritate, prudentiâ, promittu-*

dine dexteritate ac fide muneribus hinc suis maxime arduis præfuerit Illustris ille noster SCHWEDERUS vel metacente nōrunt omnes, qvotqvot pie defunctum nostrum nōrunt, qvi uno ore in omnibus consummatissimum eum de prædicant. *Philosophus* aliàs in *Viro vere politico* requirit inprimis tria: *primūm τὸ βουλευτικόν* seu vim consilii, ut possit de rebus ad bonum publicum spectantibus, de bello pace fœderibus ineundis vel dissolvendis, re nummariâ consiciendâ, & quæ sunt alia provide consulere. Deinde *τὸ πρὸς τὰς δεξιὰς* artem magistratus gerendi, ut volente ita populo vel Principe in variis præsentibus sive hieraticis & ecclesiasticis sive civilibus sive œconomicis utilem locet operam. Tandem *τὸ δικάζον* prudentiam judicandi, ut de quibusvis civium actionibus justam ferat sententiam atq; ita illinc futuris & gerendis rebus prospiciat, isthinc præsentia disponat; hinc facta judicet, & quæ proæmiis vel pœnis vel excusatione digna sint, legitime aestimet. Nihil horum omnium in uno hocce *Viro Illustri SCHWEDERO* nostro desideratum fuit à qvoqvam; sed omnibus muniis ita sufficere conspiciebatur, ut in singulis videretur omnibus exquisitissimus. Ut autem demerendo hominum generi natus Noster studiis ac laboribus tot concatenatis publicæq; rei devotis sine molestâ interpellatione domesticâ superesse posset, familiam qvoqve suam providenter ordinavit, atqve Ann. MDGLXXXIV. thalamo sibi junxit Virginem cum generis tum virtutum splendore nobilissimam MARGARETHAM *Meieris* B. DN. THEODORI MEIERI Senatoris qvondam Stralfundensis Amplissimi, & MARGARETHÆ PANSOVIÆ

SOVIÆ filiam gratissimam, B. vëro DN. THEODO-
RI MEIERI, Consulis quondam ap. Stralsundenses,
Regiique Svecici Provincialis Consilarii Illustri-
s neptem lectissimam, apud Materteram Conjugem
LIEBHERRIANAM feminam certe incomparabilis
exempli pietatis, prudentiæ reliquarumque virtutum,
hæc Rostochii probe educatam, Viduam hodie longe
mcestissimam, maximeque consternatam, Et ab hæc ipsa
dulcissimâ suâ uxore tanquam feminâ gratiâ certe sin-
gulari pariter ac prudentiâ, reliquisque ornamentis
sexum muliebrem perficientibus nemini cedente non-
nisi exoptatissimum Beato nostro ad finem usque vitæ
potuit esse conjugium. Et inter alias amœnissimi con-
jugii delicias hæc quoque fuerunt, quod piè defunctus no-
ster pater in eodem factus fuerit quartâ mellitissimâ
prole, uno filio, & filiabus tribus, singularia certe gau-
diaparentibus. Hoc autem prodire ordine: CA-
THARINA DOROTHEA, nata An. MDCLXXXV.
d. 7. Jul. JOHANNES MATTHIAS natus Ann.
MDCLXXXVIII d. 26. Febr. Jam J. U. Cultor di-
ligentissimus Juvenis magnæ spei virtutumque pater-
narum æmulus felicissimus, THEODORA MAR-
GARETHA nata Ann. MDCXCIII. d. 7. Jul. & SO-
PHIA JUDITH nata Anno MDCXCVII d. 5. Octobr.
Nec minora fuere gaudia, quæ sensit B. noster Con-
sul dum filia ipsius natu maxima modo jam nominata
CATHARINA DOROTHEA ut Virgo Nobilissima
Mellitissimaque omnium virtutum gratiarumque ge-
nere Ornatissimâ Ann. MDCCIV, nupta fuit Viro No-
bilissimo, Amplissimo ac Prudentissimo DN. HEN-
RIGO

RICO KNESEBECKIO, Senatori Reip. nostræ
Rostochiensis multis meritis longe fulgidissimo, Fau-
tori nostro ac Amico longe æstumatissimo, Quo ex fe-
licissimo thalamo videre Beato nostro licuit unum
nepotem GEORGIUM MELCHIOREM; Ann.
MDCCV. d. 3. *Januar.* natum, ted d. 27. *Mart.* denatum
unamqve neptem GEORGIAM MARGARE-
THAM, A. MDCCVI. d. 25. *Jun.* natam, quæ ad-
huc in vivis, quam Clementissimum illud Numen in
singulare parentum Aviaque gaudium ac solatium
servet. Sed nunc etiam, O flebile fatum! de B. Consulis
nostri exitu ex hac vitâ quid erit dicendum, qui nimi-
rum modo jam elapso A. MDCCVI, d. 24. *Decembr.*
eo ipso tempore, quo corda nostra ad ferias Natalitio-
rum DOMINI celebrandas præparabamus, obtigit.
Occasionem mortis hujus adeo acerbæ quod concernit,
eam verbis Medici ipsius Viri Præ-Nobilissimi Ex-
cellentissimi ac Experientissimi, DN. JOHANNIS
ERNESTI SCHAPERI, Medicinæ Doctoris undi-
quaque Celeberrimi, Ejusdemque Professoris in hac Al-
mâ Academiâ nostrâ fulgidissimi, Facultatis suæ Senio-
ris gravissimi, ut & Serenissimi ac Celsissimi Nostri Prin-
cipis Regentis Archiatri longe felicissimi, Collegæ ac
Fautoris mei uti conjunctissimi, ita & ob curam vale-
tudinis meæ omni honoris cultu prosequendi, descri-
bam sequentibus: *Ad morbum Consultiissimi Con-
sulis jam b. SCHWEDERI quod attinet, ma-
lum erat hypochondriacum inveteratum cum socio
scorbuto, quo per multos annos affligebatur ager*
RICO
utrum-

utrumque per durationem senile, sic simul rebellis
in alium premi quidem, sed non suppressi poterat, unde
de enascebantur subinde exacerbationes, non corpus
tantum sed & mentem occupantes. Notabile inter illas
& periculosum simul ante unius & dimidii anni
spatium eveniens symptoma erat sopor insignis cum
membrorum ferè omnium insigni flacciditate, atq;
sensuum & motus defectu. Tristis hicce status
metum nisi succumbentia ad minimum Paralyseos
quarundam partium inducebat. Sed summi Nu-
minis auxilio & medicaminum convenientium usu,
ager noster ita restituebatur, ut suis & uti partibus
poterat, & porro præ-esse officiis, attamen non absq;
vestigis à morbo hoc magno relictis, subinde se pro-
dentibus. Eveniebat hinc, ut ante aliquot tempus
de pedum debilitate querebatur tali, ut nec iis insisteret,
nec progredi posset; huic periculoso & in recessu ma-
gnum habente periculum malo pariter exquisitis ob-
viam ibatur remediis tali, Deo sint grates, successu, ut
post numerosam macularum scorbuticarum eruptio-
nem vigor sufficiens pedibus rediret. Ast nec hæc
restitutio erat durabilis, siquidem die 19. Decembris
anni præterlapsi, insigni ac frequenti eoque bilioso
corripiebatur vomitu, & die 20. ejusdem mensis
pristis

C

pristinus sopor Carus, in uadebat agrum. Pericu-
lo hoc in statu tentabantur omnia, quibus seruari
per humanum auxilium posset ager, & exquisitissi-
morum remediorum effectus subinde talis erat,
ut sensus aucti & motus partium subsequenti melio-
ris indicia evenirent, non sine solatio adstantium, sed
quæ affulgebat, inconstans spes erat, & in anti-
quam soporem declinare agrum erat mutatio, rue-
bant hinc symptomata in deterius & frequentes artu-
um & labri inferioris tremores eventum tristem des-
terminabant, qui pro dolor die 24. Decembr. non
sine lachrymis adstantium jectus est. Quam beatus
vero hic exitus ex hac ærurnarū valle fuerit edocebit
nos Confessionarius Beati nostri fidelissimus, Vir Ad-
modum Reverendus ac Præcellentissimus Dn. JO-
HANNES SENSTIUS, SS. Theol. D. fulgidissimus
adædem Mariæ Archi-Diaconus, ut & Cœnobii ad S.
Crucem Pastor vigilantissimus, deque Ecclesiis suis lon-
ge meritisissimus, Fautor Collega ac in CHRISTO fra-
ter meus æstumatisissimus, cujus ipsissima verba iti-
dem hic apponimus ita sonantia:

*De extremis, pie sanctæq. memoria Dn. Syndici Provincialis,
ac Consulis SWEDERI, ætatis diebus, quas vires ac nervos
ad ultimi sui oppugnationis devictionem Beatus ille conule-
rit, L. B. ita habet. Triduò abs ultimis vite melioris nata-
libus, ego Sensius quò per septennium usus erat Confessio-
nariò, per ministrum suum consularem accersitus, Dn. Con-
sulem*

*saltem nunc beatum (ast urbi nostrae, totique provincia
Mecklenburgica cisò citius, eheu! praeptum) reperi
gravissimè decumbentem, sanòque ex capite malò im-
peditum, ut lingua olim expedità, nunc vinculatà
vix ac ne vix quidem uti posset, somnoq; alternante
quasi sopitum. Accessi Virum de me, bonisque aliis
maximè meritum, precibus, ac omnigena prosperita-
vis votò, ut qui ante anni spatium eòdem fermè
morbò pressum nobis clementissimè reddiderit, & suis
sospitem Deus, eundem & nunc nobis propter Chri-
stum restituat, solatiò ac gratià erigat, sique aliter
sibi dispositum sciat, in fide servet, contra Satana
machinationes tueatur feliciorisque vita propter vul-
nera Filii, impertiatur usum. Cumq; sic præviò
votò quasiverim ex agrò, numne me nosset, vidi ocu-
los valvis suis nudari, ad me verti, capiteq; mihi
annui: Convocari in procinctu adstantes, iustique
mecum esse ad Deum supplices, atque sic præcipua
Litania in nostris Ecclesiis usitata capita recitavi.
Quod cum fieret, Beatus noster & suspirandò, & la-
crymandò spem ac fiduciam in Christum ita probavit,
ut omnem præsentium lætulumq; cingentium chorum,
magnà admodum admiratione, ac gratulatione per-
mulserit, nec minus jacentem Lætissima Domina Con-
jugis, & Filiarum, conjugata ac Virginum (Dn. Filius
enim nondum aderat) excitaverit animum. Institi
cæptis Christiana divinaq; fidei Capita practicè propo-
nendò, ac deprecandò, quanta in ipsum Creator,
Redemptor, & sanctificator Deus contulerit beneficia,*

quæ merita, quæ ac quanta magnalia; Quibus maxi-
mis subinde suspiriis, usq; frequentibus annui Vir nunc
Evâriois; Cumque quærerem numne me intelligeret
sonorâ, obtusiori quantumvis voce respondit: **Ja!**
Comperitog, sic, ratione non destitui **NOSTRUM**, eumq;
in fide stare, mearum duxi esse partium viam ad Deum
redeundi, si non aperire, commendare tamen. **Quo**
nomine, quæ ad pœnitentiam spectant, tractavi se-
dulò, monuig, Virò piò non esse indignum, nec alienum
à Christianismò sua detestari peccata, nec minus confi-
teri se Deo non redhibuisse sua ex jure mancipia, esseque
sic consultum quin prorsus necessum, ad exemplum Oe-
conomi illius prodigi, omissa, negle Etâ, susq; deq; habita
officia deprecari, eorumq; expiationem in Christo quærerere
unicè. Quâ ratione multa pœnitentium suspiria, in-
tegrasq; preces pœnitentiales eq; ex scriptò ac memori-
ter protuli. Ubi tria præprimis mihi observare licuit.
Primum, cum Psalmum sextum ipsi prælegerem, agrum,
qui ad somnum capiendum videbatur proclivis, hujus
recitatione depositis somni rictibus (Tales enim in somnò
facere Viro, cum sanus, erat naturale,) quasi experge
factum attonitumq; redditum, comperi, ut sine vehe-
mentioribus nequiverit audire Psalmistam suspiriis:
Eòq; deprehensò ad Christum Beatum nostrum remis-
solatus in Salvatoris merito & exantlatis vehementis-
simis passionibus ipsi patere gratiæ januam, ad eumq;
nunc esse confugiendum, secundum illud. **Meinen**
JESUM laß ich nicht &c. **Quid** eger? Dex-
tram movit, iterumq; movit ex morbo gravidam, tan-
demq;

demq; ita firmavit, ut dextra mea inopinato junxerit,
meamque bis, terve compresserit. Quò ipsò mihi
videbatur insusurrari antiquum illud: EN DEXTRA,
FIDESq; ! Quod alterum observatu mihi dignum.
Palmarium, idq; tertium quod restat, quodq; in singulis
quaternaria mea accessionis vicibus observavi & mecum
quotquot adsuerunt, est cum ipsi in primà visitatio-
ne inter alia acclamarem illud: TURBATOR, SED
NON RERTURBATOR, QVIA VULNERUM
JESU RECORDATOR, sensumq; germanicè reddi-
tum: Meine Sünde mich zwar etc. Doch will
ich nicht verzagen / gedencken will ich an deinen
Todt / HERM JESU deine Wunden roht/
Die werden mich erhalten) tantum conspexerim mo-
tum cum corporis tum animi suspirantis, ut exprime-
re nequeam, maxime circa dexterii illius posteriora ver-
ba, ut firmiter credam, Totum SVEDERI nostri b. m.
se commovisse. Quale quid, cum extraordinarium in
valedicturo judicaverim, ansam mihi præbuit, sepi-
uscule illud iterandi, ac rogandi, ut quod cæperat, ite-
rum iterumq; persequeretur, sensumq; ac suæ devotionis
interruptæ eò ipsò proderet signum, tantumque absuit,
ut semel neglexerit, ut potius in consinio mortis, mo-
tione dextra, pectoris elevatione, orisq; susurrus,
sit testatus fidem. Ut de novissimò confessionis actu
ante diem emortualem octiduanò nil dicam, ex quò
id referre mihi integrum esse iudico, omnia ad mortem
beatam fuisse composita. Gratulor proin anima sic in
fide in Christum obfirmatæ, & ad Patrum electorumque

Chorum, quin ad ipsam Christi dextram evecta, inde si-
turam vita felicitatem, corporeis verò exuviis sine de-
treclatorum tumultu ac strepitu somnum, ac quietem
in pace, harumque cum Spiritu nexu ad capeffen-
da communia, quæ sperantur, gaudia!

Ex quibus sic illucelcit beate ita mortuum DN.
CONSULEM nostrum non esse mortuum, sed
mortem revera etiam ipsi factam esse januam ad
beatissimam vitam. O felicissime mortuum!
Jam equidem bene ita defuncto nostro, qui nunc
ereptus tot calamitatibus, tot molestiis, quibus nos
miseri superstites adhuc expositi sumus, bene ipsi,
qui æternâ nunc pace, nunquam fincendis gaudiis
fruitur; nihilominus tamen acerbus adhuc est lu-
ctus, qui exacturâ Tanti Viri ap. Posteris senti-
tur. De Phœnice testatur Epiphanius in Ancorato
p. m. 89. post svaveolentem ejus occasum uberes
cœlo pluvias devolvi, mortuosq; cineres irriga-
ri: Ita & non minus demortui illius seculi nostri
Phœnicis B. Nostri CONSULIS dulces exuviæ uber-
rimis rigantur lacrymarum pluviis. Madelcit illis
maxime consternata VIDUA, liquescent mœstissi-
mi liberi, Filius florentissimus, Filiæ lectissimæ,
perfunditur iisdem Amplissimus DN. Gener. ma-
gnâ copia diffluunt ê genus Unici dilectissimi
qvondam DN. Fratris, ut & Charissimæ Sororis,
& reliqvorum propinqvorum omnium; Imo i-
psa nostra Respublica una cum tota Provincia
hunc suum intensissimum lacrymarum, pluviis te-
statur

statur mœrorem. Non enim potest non esse uni-
versorum comploratio, ubi communis est omnium
jactura. Lacrymis hisce & ipse ego, qui hâc vi-
ce tam acerbissimum Tanti VIRI funus mœstissi-
mâ meâ crenâ indicere debeo, meas jungo, & Pa-
tron ūmeum quondam singularē, magnumq; Pro-
motorē, cujus benevolentiam & post fata ejusdem
deprædicare nunquam desinam, lugeo atq; deploro.
Sed vos lacrymæ sistite tandem cursum, nec Beato
nostro invidetis suam felicitatem, suam quietem,
recordemur præterea, virtutem eripi quidem
mortalibus oculis posse, totam autem interire non
valere. Vivit etiam suos superstes funeri, meritis-
que se æternitati restituit. Tu vero O Clemen-
tissime DEUS! ad sis Spiritus tui S. gratiâ largissi-
mâ, Spiritu solatii ac rōboris lugentibus omnibus
acerbisq; lacrymis Tantum Virum deplorantibus
mœstissimæ Viduæ, tristissimis liberis, Genero, Fra-
tri, Sorori reliquisq; propinquis, & mœrentibus o-
mnibus O Benignissime Deus! mala omnia, quæ
tanti protendere solent casus, ab almâ Rep. nostrâ
quam clementissime avertas, eamq; quam maxime
commendatam Tibi habeas. Tu autem O Beatissi-
me SCHWEDERE! valeas, milliesque valeas, uti
nomen tuum semper in ore gestabimus, ita re-
lictas tuas exuvias in Templo Mariano apud
communem matrem solemnissime ac decentissime
deponemus. Nobis O Cives Academici! voces
pau-

paucissima hæ sufficient, quæ ex Ore *Metelli Ma-*
cedonici ap. *Valer. Max. l. 4. c. 1.* repertis depro-
mo: **CONCURRITE, CONCURRITE CL-**
VES, MOENIA NOSTRÆ URBIS
EVERSA SUNT.

P. P. Rostochii sub Universitatis Si-
gillo ipso exequiarum die d;
26. Jan. A. MDCCVII.

Conventus erit in Æde Marianâ
post Horam I. pomerid.



Vioi

omnino auctoritatis ac fidei , O i
humanarū rerum felicitati fortuna! VIR
rum encomio illustris. Mortuus yah! no
omine, utpote qui duos Cordatissimos
pariter Curiaē nunc longe mœstissimæ
in eadem ferme hebdomade , sibi præ
olim, *Plato: βέληται θεός 'εὐπράξαί πάλιν*
ἐπίησεν, ὅταν ᾖ μέλλη κακῶς πράξαι, ἐξέειλε τὸς
ὁ θεός. Imo majorum hæc malorum r
esse præfagia. Ut enim hirundines
sensu pullos suos ex ædibus ruinam n
ferunt, & alibi tuto deponunt. Sic M
rumqve Reip. capitum animæ hinc pa
grant, quam ærumnosis & labantis hu
nis & calamitatibus variis ingruentibus
Mortuus Noster, nec tamen mortuus, c
potuit, qui anteqvam moriebatur, m
mortuus *legi*, quemadmodum inter fide
gem mors aliqua intervenit, eaqve le
ens, ut licet peccatum adhuc habeant
condemnare non possit propter eandem
fide apprehensam. Fidem etiam hanc sua
ostendebat, atq; hinc & *peccato* moriebatu
tum in hâc imbecillitate fieri potest, mag
mine vitabar, *mundo* moriebatur, quæ
noverat. Sæpius etiam de morte sua c
qvens, eamq; sine metu expectans. Non
dum mortuus. Non mortuus, utpote c
est in benedictionem, quemqve infigi
apud seros posteros immortalē redd
inelegans est inventum, prouti laudat Fra

ulam, de dignit. & augment. scient. l. 2. c. 7. p. m. 152. sq.
cujusdam ex Poëtis recentioribus, quo antiquam fabulam
locupletavit. Fingit ille, in extremitate fili parcarum nu-
misma quoddam, seu monile pendere, in quo defuncti nomen
impressum sit. Tempus autem cultrum Atropi praestolari, &
statim abscisso filo numismata eripere, eaq; asportata paulo
post in fluvium Lethes ex gremio suo projicere. Circa flu-
vium autem magnam avium vim volitare, quae numisma-
ta arripiunt, ac postquam in rostris ipsorum paulisper eadem
circumtulerint, per incuriam in fluvium decidere
permittunt; Idcirco cygnos reperiri nonnullos, qui
si numisma prehenderint, illico ad tem-
plum quodammodo, immortalitati conse-
cratum, se conferunt, ubi nostri immortalit-
atem semper in rebus agendis operans vitæ
in valle eorum jam consecrata in Rostochio
ora jam erunt reposita. Natus sic est B. ille
GIUS MELCHIOR
vetusta & Illustri familiâ,
10. Martii Colberga, quæ ulte-
rioris Pomeraniae Electoralis Pomeraniae est Civitas,
Patre Viro Illustrissimo JOHANNES SCHWEDERO
Jo. Celeberrimo & Serenissimo Electori Brandenb. à
Consiliis Comistoriisq; in Ducatu ulterioris Pomeraniae
& Principatu Caminensi Præfide, Viro magnorum in
patriam meritorum; Matre vero nobilitate generis ac
virtu.

